

incommodum tuum; tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas virumque praebeas, et qua conditione omnes homines, et quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quam forrtuna abstulit: propterea quod adeptus es, quod non multi homines novi; amisisti, quae plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima poena ab hac republica discesserit. Tu vero qui et fortunas et liberos habeas, et nos ceterosque necessitudine et benevolentia tecum conjunctissimos; cumque magnam facultatem sis habiturus nobiscum et cum omnibus tuis vivendi; et quum unum sit judicium, ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia, eaque dubia, potentiae alicujus condonatum existimetur: omnibus his de caussis, debes istam molestiam quam lenissime ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet. Vale.

XXII. M. CICERO A. TORQUATO S. D.

•Aulum Torquatum, qui Pompejo victo, cujus partes secutus fuerat, Athenis exsulabat, consolatur, ut absentiam ab urbe aequo animo ferat: quia turbata sint omnia, et qui praesentes sint, multa cernant quae nolint videre. Addit spem reditus nonnullam, hortaturque, ut virtute se sustentet et recti conscientia: etiam ex civitate, in qua exsulet, et Sulpicii consuetudine levamen petat. Scripta bello Hispaniensi. •

Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suae quemque fortunae maxime poeniteat, nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romae esse, miserrimum sit. Nam etsi quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus, et eadem acerbitas, ex interitu rerum et publicarum et suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri